



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XIII. In Domin. Sexagesimæ. Et conculcatum est. Luc. 8. Arg.Trutina divini
verbi contemptus.

Nutzungsbedingungen


[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

Luther.
lib. de
mundo,
fol. 70.

indignus nomine, dicens: Si cælum apertum viderem, idque culmo duntaxat de terra sublata mereri possem, eum ne utiquam attollerem. O pudor! ô infania, æternis meritò vindicanda suppliciiis.

Expalleant hi, ne dum serò manus ad capiendum fructum vitæ laxabunt, cum Tantalo poma fugacia captent. Timeant, ne præoccupati procellâ, & turbine judiciorum divinorum ex pe-

lago hujus vitæ, abyſſo æternæ damnationis abforbeantur. Timeant, ne dum funes peccatorum rumpere moliantur, tempus pœnitentiæ non inveniant. Timeant, inquam, ne ab hoste sine manibus devicti, in sempiternam abducantur captivitatem. Quod à nobis avertat, qui tam sedulò nos ad suam vineam invitat, Christus JESUS Dominus noster. Amen.



CONCIO XIII.
IN DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Et conculcatum est.

Luc. 8.

ARGUMENTUM.
TRUTINA DIVINI VERBI
CONTEMPTVS.

I. **E**tsi quævis facta, dictaque Incorporati Numinis summam mereantur admirationem; non minimam tamen meo iudicio, & ipse clamor in hodierno auditus Evangelio, sibi vindicare videtur. A. Testatur de ipsius modestia, ac silentio oraculo est:

Non clamabit nec audietur vox eius foris: Et rursus: Tanquam Agnus coram tondente se obmutescet. Sigalionem factiùs, quàm stentorem profitebitur, & plura edocturus est silentio, atque exemplo, quàm clamore, & eloquio.

Comprobatum id ipsum in Concilio, & à cælestis regni Cancellario evulgatum,

tum quod inter ludibria & alapas inter flagra, & verbera; inter tribulos, ac elavostrabales, perinde ac Agnus, non coram tondente duntaxat, sed & coram deglubente se, ac trucidante obmutuerit. *JESUS autem tacebat.* In tantum, ut miraretur Præses; cælum ac tellus hæerent attonita.

*Matth. 26.
v. 63.*

Ut autem advertit, quod aliud semen cecidit secus viam, & conculcarum est, continere se non potuit, quin exclamaret: *Qui habet aures audiendi, audiat. Hec dicens clamabat.* Quid est istud Aud.: Ergone quod granum quodpiam cadat penes viam, & conculcetur; aut aliud supra petram, & arefcat; aut tertium inter spinas, & suffocetur, exulandum est potiùs, quàm inter gravissimas injurias, & dolores? Omnino sic est. Clamandum potenter, & indolendum est, quia *semen est Verbum Dei.* Et quando hoc semen per spinas, per saxa, per itinera ita spargitur, ut nullum fructum cælesti adferat Patrifamilias, dolere debet, dolorémq; acutissimum clamore testari. Quod ut ad ingenerandam Verbi tui insigniorem æstimationem, ac amorem planiùs elucidem, à te Verbo æterno, in Divinitate incircumscripto, in carne abbreviato, in virginea charta exarato, gratiam efflicium exopteo.

PARTITIO.

NON potero justissimum Domini dolorem ex jactura sementis conceptum, liquidiùs evolvere, quàm si pretium illius demonstravero, evicereque illam exuperare, vel adæquare,

quidquid vel in bonis fortunæ, vel gratiæ, vel gloriæ excellentissimum est.

§. I.

Verbum divinum exuperat bona fortuna.

III. **I**N bonis fortunæ principem prope locum obtinet aurum, & argentum. Cætera bona Provinciale habent administrationem; solæ pecuniæ Generalem. *In pretio pretium est, dat census honores, census amicitias pauper ubique jacet; cecinit olim Naso.* Et alter: *Aurum quisquis habet securâ navigat aurâ fortunamque suo temperat arbitrio. Aurum quisquis habet Superos mercatur, & astra, captivosquetenet sub ditione Deos.* Aurum bella gerit, mucronibus imperat aurum, Aurum ventosis vela dat æquoribus.

*Pecunia
obediunt
omnia.*

Ovid.

Petron.

Balbus.

Côtrovertitur nihilominus à Politicis nobiliore ne verba, an pecuniæ polleant imperio. Nam etsi maxima auri sit potestas, suppar prope est verborum. Si aurum per medios ire satellites, & perumpere saxa potentiùs ictu fulmineo cogit; præstant idipsum verba, & arma; vel dant, vel eripiunt; militiam, pugnamque aut suadent, aut fistunt, animorum incendia vel suscitant, vel extinguunt; pugnat sine telis, vincunt sine sanguine, sine clade triumphant. Si Superi flectuntur ab auro, moventur iisdem precibus. Oratio est Deo sacrificium, oranti subsidium, demoni flagellum. Si aurum pulchrum, & excellens, non minus verba. *Mala aurea in lectis argenteis verbum in tempore dictum.* Quemadmodum mala aurea affixa lectis argenteis, mirum in modum lectos exornant, & quâ varietate

*Prov. 25.
v. 11.*

tate

rate, quâ artis elegantia recreant oculos intuentium: ita verbum in suis circumstantiis prolatum, plurimum afficit audientes. Itaque lis etiamnum est, quidnam eorum præpolleat, an aurum, an verba?

Decidunt tamen eam Philosophi, dum dicunt: *Utendum terminis sicut nummis.* Imitetur moneta vicissitudinem sermonis usus, qui probatus erit, si sit usitatus & notus. Sermo nimis cultus, & cothurnatus subærata moneta est; quæ ad speciem dicit, revera depauperat, sibi que & aliis imponit. *Utendum terminis sicut nummis.* Si nummos accipiendo inspicias, & periclitaris an probati sint: ad eundem modum pondera verba priusquam proferas, & ut monet Ecclesiasticus: *Verbis tuis facito stateram.* Id est, libellâ prudentiæ tuæ expendas, ne quidpiam leve, & sine pondere proferas, omnia verba tua prius ad limam, quam ad linguam, prius ad eos, quam ad os, prius ad stateram; quam ad auram referantur. *Verbis tuis facito stateram* & utere terminis sicut nummis. Si parcè dispensas aurum, parcè itidem proferas verba. Non minus enim prodigalitas verborum, quam nummorum paupertatis proxeneta est. *Ubi sunt verba plurima, ibi frequenter egestas,* ait Salomon. Sonus grandior, altiôrve, nunquam non vacuum indicat; & ampullata, profusaque verba mentis, aut virtutis inopiam designant. *Utendum terminis sicut nummis.* Si moneta alia est pretii minoris, alia grandioris, alia cuprea, alia aurea, & hac quidem utuntur viri opulenti, ac magnates: ita

verba etsi nonnunquam vix æri, sæpe numero tamen auro æquiparantur. Unus sæpe versus talento venit. Unius sententia gemis, & unionibus est appensa.

III. Verùm si tanti quodvis vulgare verbum habendum, si tam restrictè iis utendum, si auro, & gemmis conferendum, exigite quanti divina oracula ducenda, quanto excellentiora omni lapide pretioso, & auro cum Salomone putanda? *Quoniam,* ut ille perorat, *omne aurum in comparatione illius arena exigua est, & tanquam lutum estimabitur argentum in conspectu illius.* Quidquid nitet, quidquid fulgurat, collatum cum Verbo divino, cum Sapientia celesti, illico vilescit ac sordescit. Præstat opes, præstat sceptrâ, & diademata temnere, quam Oracula Altissimi non possidere. *Quoniam omne aurum &c.*

IV. In parabolis suis inducit semel & iterùm Dominus mentionem thesauri, ac margaritarum. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit universa quæ habet, & emit eum.* Et: *Simile est regnum cælorum homini Negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit & emit eam.*

Si percontemur, quisnam hic Thesaurus, quænam margarita, quàm prudens, sagaxque institor tanti putat? Responsurus est D. Hieronymus: *Bona Margarita Lex, & Propheta sunt, & notitia Veteris Testamenti. Unum autem est pretiosissimum margaritarum scientia Salvatoris & sacramentum passionis illius.*

Sermo sit,
sicuti moneta usitata.

Ecc. 28.
29.

Sap. 7.
v. 8, 9.

Verbum
Dei thesaurus.

Matth. 13
v. 44, 46.

D. Hier. &
S. August.
h. l.

S. August.
in h. l.

Paria de Thefauro S. Augustinus: *Thefaurum in agro absconditum, dixit Dominus, duo Testamenta legis in Ecclesia, quæ quis cum ex parte intellectus attigerit, sentit illic magna latere. Et vadit, & vendit omnia sua, & emit agrum illud, id est, contemptu temporalium, comparat sibi otium, ut sit dives cognitione Dei.* Ergo si tantus Thefaurus, tam pretiosa margarita est Verbum Dei, nonne merito is indolere debet, quod surdis bibatur auribus, & ad alios, perinde ac scopulos allisum in vanissimas echones, aut spumas abeat merissimas?

V. Ponite enim, quempiam magnæ summæ jacturam facere, aut cuipiam monile pretiosissimum auferri, an dolori non immobilabit? Ponite, parentem filio monita incassum instillare, Magistrum discipulo præcepta frustraingere, Dominum mediastino suo iteratis vicibus in vanum quidpiam præcipere, quò quæso id animò luros arbitramini? An non acutissimò doloris telò configentur? An non ægrimoniâ animi cruciabuntur? An non sollicitudine, ac curis contabescunt?

At si tanti ponderis monita hominum sunt, si tantum instillat eorum jactura dolorem; vel si vilis homuncio totus in rabiem efferatur, quod verba ipsius, imperiæque insuper habeantur, quid cogitandum, replico iterum, de Deo, ac Domino nostro?

Deus multas
nos alloquitur.

Loquitur hîc itentidem ad nos, cum per se, tum per alios, intus ac extra. Intus inspirationibus, luminibus, gratiis diversis; extra tot linguis, quot literis, quâ in Veteris, quâ in novi Testamenti

codice consignatis. Monet, & exhortatur per Angelos; suadet, & invitat per Ecclesiastas; tonat, ac fulgurat ad nos commovendos per nubes, minatur, ac percellit per mortem, & infernum; extimulat beneficiis, ac donis; & nihilominus volutamur in cœno peccatorum, contra stimulum calcitramus, beneficia in æquore scribimus, omnia surdâ mente, & aure bibimus. O, quomodo igitur non exacerbabitur piissimi parentis peccus tanta ingratitude? Quomodo optimi munificentissimique Mæcenatis nostri viscera non torquentur tantorum donorum contemptu? Qua ratione clementissimi Domini nostri mens tam præfractâ non sauciabitur perviciâ? Magna etenim cura, quantò potentius sublevat animum spe exoptatorum fructuum, tantò iisdem frustrata pungit vehementius. Cum itaque nos tantâ curâ imbuat, tam immensum eloquiorum suorum thesaurum nullâ suâ usurâ, aut commodo concedat, & dispenfer; toties oleum, & operam perdat, non potest non, (ut more nostro loquar) excruciarî acutissimè, & ut tandem resipiscamus clamore provocare intensissimo: *Qui habet aures, &c.*

Et si tantopere detonabat, *Cum turba multa convenirent, & de civitatibus properarent ad eum audiendum, cum nec templo, nec mœnibus hæc sacra audiendi fames coërceretur, cum in planities camporum vastissimas sese diffunderet, & intra deserta exaturari anhelaret; quantò nunc perpendite in tanta verbi sui nausea, ac contemptu intensius inveheretur, quantò severius casti-*

castigaret ignaviam nostram, quanto profundius telō acerbissimi doloris exulcerarentur præcordia ipsius? *Qui habet aures audiendi audiat.* Sed ad bona gratiæ ascendamus.

S. II.

Verbum divinum supereminet gratiis, SS. Lipsanis collatis.

VI. IN his maximi semper ponderis extitère gratiæ sacris Lipsanis dispensatæ: nec quicquam Sanctis gravius, aut Superis accidere violentius posse rebantur, quàm si iisdem injuria quæpiam irrogaretur. Nec immeritò. Manet quippe enthea quædam virtus, ac gratia illis inoculata, quam vel creberrima contestantur miracula, vel implacabilis fugit Libitina, vel ipsa expavescant Tartara. *Ad eorum namque extincta corpora viventes agri veniunt, & sanantur; perjuri veniunt, & demonio vexantur; demoniaci veniunt, & liberantur,* scribit S. Gregorius.

Verùm enim vero, si tanta sacris Lipsanis indita, & inviscerata vis est, si tanta sanitarum infusa est gratia; an inferiorem sementi verbi divini adscribetis? Audite obsecro S. Paulum de eoperorantem: *Verbum, ait, crucis perennibus quidem stultitia est, his autem qui salvi sunt virtus Dei.* Et rursus ad Romanos: *Non erubesco Evangelium, Virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Quæ verba interpretans Angelicus ita scribit: *Evangelium virtus Dei potest intelligi, non modò quia virtus Dei in*

Evangelio manifestatur; secundum illud: Psal. 90. Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo; sed quia ipsum Evangelium in se continet virtutem Dei, secundum illud: dabit voci suæ vocem virtutis. Hoc est, quantumvis facie externâ videatur contemptibile, latet tamen virtus, quæ audientes sanat, sanctificat, in filios Dei regenerat. Virtus enim Dei est in salutem. Virtus inquam Dei vulnerans, & sanans, incendens, & illustrans; sæcundans & satians; emolliens corda, & conterens, consolans animas, & confirmans. Quis enim tanto desidiis constrictus frigore, ut eo non incalescat? Cujus cor tam durum, & adamantinum, ut malleo illius non conteratur? Numquid non verba mea sunt ignis, & quasi malleus conterens petras? ait Dominus ore Jeremiae. Cujus mens tantis ignorantia tenebris involutum, ut ex eo non illustretur? Cujus cor ita amaritudine redundat, ut non indulgetur? Cujus præcordia tam infirma, ut non sanentur? Neque herba, ait Sapiens, neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus Domine qui sanat omnia. Verbo, Virtus est Dei, nec quicquam tam fragile, quod non consolidet; pusillum, quod non animet; efferum, quod non cicuret; nullum vitium tam irradicatum, quod non evellat; nulla consuetudo tam agnata, quam non rescindat; nulla labe tam enormis, quam non emundet; nullum cor tam depressum mæore, quod non sublevet; nullus animus tam desperatus, quin in spem bonam erigat.

VII. Vivis characteribus hanc virtutem illius expressit Vates regius, dum cecit-

Verbi divini efficaciam.

SS. Reliquiarum virtus.

S. Gregor. h. 32. in Evang.

Verbi divini virtus. I. Cor. 1.

Rom. 1. v. 16.

S. Thom. in Cat.

Psal. 90.

Psal. 67. v. 34.

Ier. 23. v. 29.

Sap. 16. v. 12.

Psal. 28.

cecinit: *Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringētis cedros, Vox Domini intercidentis flammā ignis, Vox Domini concutientis desertū, Vox Domini preparantis cervos.* Vox, inquam, Domini in virtute ad sanandum; in magnificentia ad docendum, & illuminandum: *Vox Domini confringētis cedros*, elatas ac superbas mentes ad humilitatem Christi inflectendo; *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, flammam pravaram affectionum ex fomite peccati succensam extinguendo. *Vox Domini concutientis desertum Cades*, id est sanctitatis, ad eam incitando per veram, sinceramque pœnitentiam. *Vox Domini preparantis cervos*, ad currendam viam mandatorum Domini, ad formandum, & parturiendum Christum in animabus nostris. Dico iterum: *Vox Domini in virtute* ad profligandos & confundendos Lemures, ad avertenda fulmina, ad advocanda in conclamatis rebus auxilia, & solatia. Profectò nulla validiora sunt arma ad resistendū Sathanæ, quàm gladius spiritus, quod est Verbum Dei. Nullum efficacius antidotum ad avertenda fulmina, ac Verbum Dei in Capite Evangelii S. Joannis signatum. Nullum præsentius remedium in adversis, ac desperatis, ac idem sanctissimum Verbum piè ruminatum.

VIII. Date, date mihi lipsana vestra, ostendite sacra numismata, exhibete Divorum cineres, quos ego pronò corpore, & animo deveneratus, contor estne in illis tanta gratia, & virtus, quæ non dico exæquare; sed vel in comparationem cum Verbo divino venire valeat?

Habeo, inquit quispiam, crucem Caravacensem contra vim fulminum; ego subdit alter, quidpiam ex pulvere S. Udalrici contra glires; ego ait tertius habeo iconem S. Ignatii contra Avernales Genios; Divi Sebastiani sagittam contra luem, alia itidem amulera in tutelam meam. Bene habet. Sed audi, quod repono: Estne horum amuletorum quodpiam tam efficax, ut conducatur ad refrænandas animi passiones, ad relaxanda peccata, ad promovendam salutem animæ tuæ? Quid hæres? responde. Neutiquam. Corporiea nonnunquam profunt, non animæ. At verò si libenter auscultes Verbum Dei, inque præcordiis observes, profectò effectus præfatos omnes experieris.

IX. Conclude itaque, ac decerne, quisquis singulari affectu duceres erga sacra lipsana; (quod pium, ac laudabile est) quisquis eorum injuriam vindicas, (quod viri zelosi est), quisquis ea sanctè observas; (quod religiosum est); an non multò propensius ferri debeas, erga divinum Verbum in corde tuo conservandum? An non avidius illud prensare par sit? An non gravius illius contemptum vindicare?

Decerne item, quo animo despectum Verbi sui feret Judex vivorum ac mortuorum, qui custodit omnia ossa Sanctorum suorum, quo sulphure verborum eos perstringet, apud quos, perinde ac ad petram allisum Verbum Dei recidit, aut tanquam inter spinas projectum offocatur; aut tanquam in via dispersum conculcatur? Et si sapias conare, ut ceu terra bona illud suscipias, conserves, & in sancta patientia, si
non

non centesimum, minimum sexagesimum, aut trigésimum fructum adferas.

§. III.

Idem prope contemptus est Verbi Dei, qui Corporis Eucharistici.

X. IN bonis Gloriæ excellit Corpus Christi, omni gloria & honore coronatum. De hoc stupendam, & prorsus inexpectatam quæstionem movet Præsul Affricanus, in hæc verba: *In-terrogo, vos fratres, dicite mihi, quid vobis plus esse videtur, Verbum Dei, an Corpus Christi? Quis verò hîc non illicò responderet: O sancte Doctor, tunc hæc ignoras, & in controversiam vocas? Nemo est, qui non pluris æstimet Corpus Christi, quàm Verbum illius. Hoc enim citra scrupulum elabi nobis finimus, non item illud. Verbum Dei vix discernimus à verbis hominum, sacrosanctam autem Synaxim probè distinguimus à pane vulgari. Verbum divinum cum exigua reverentia sedendo, imposito pileo, imo semistertendo audimus, at verò Corpus Christi de genu adoramus. Plus, plus videtur esse Corpus Christi, quàm Verbum Dei. Quid verò ille? Si verè dicere vultis, non minus est verbum Dei, quàm Corpus Christi. Et si vilescit apud vos, id evenit ex vestra iniquitate, non ex Verbi divini vilitate.*

Eapropter subdit idem S. Pater: Et ideo, quanta solitudine observamus, quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta solitudine observemus, ne Verbum Dei, quod nobis predicatur, dum aliud cogitamus, aut loquimur, de

corde nostro pereat. Causam si præstolamini, percipite: Quia non minus reus erit, qui Verbum Domini negligenter audiverit, quàm qui Corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit. O verba, non verba, sed fulmina penetrantia medullas intimas. Non minus reus erit. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Et, Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit terporis & sanguinis Domini. Consequenter qui corpus Domini susque deque habuerit, æquè iudicium sibi aggravat, & reus erit Corporis, & sanguinis Domini.

1. Cor. 11.
v. 27.

XI. Neque id citra fundamentum à tanto Doctore prolatum; sed ex ipsis hodierni Evangelii visceribus erutum. Quæ enim de causa arbitramini Dominum Verbum suum contulisse semini? *Semen est Verbum Dei?* Cur non persistit in parabola thesauri, aut margaritæ, ad pretium ejus indicandum? Vel Regni cælestis, ad dignitatem ejusdem exaggerandam; vel grani sinapis, ad virtutem ejus demonstrandam? vel in aliis? Planè ad innuendum, quòd quemadmodum semen æquivalet fructui, & virtualiter in se comprehendit, quidquid formaliter reperitur in fructu; sic quadantenus Verbum Dei sese habeat intuitu Corporis Dominici.

Explico me: Semen pomi non continet in se formaliter fructus, flores, ramos, non habet radices, quibus stipes innitatur; non truncum, quo subsistat; non ramos, brachiorum instar folia, ac fructus succollantes; non folia ad ornatum, non corticem

P ad

ad amictum, non pinguedinem pro alimento, denique destituitur colore, odore, sapore, magnitudine, durtie, similibusque accidentibus, & nihilominus eadem omnia non quidem ad proportionem, sed tamen per virtutem innatam comprehendit. Accipe enim granum quodpiam ejusmodi seminis, terræ concredito, & paulò post palpabis, ut prædicta omnia sensim sine sensu ex eo pullulent, & excrescant.

Par prope conditio est Verbi Dei. Semen est totum quantum ab simile in pulchritudine, magnitudine, dignitate, formâ, vita, & corpore Filio Dei. Verùm accipe illud, fove, & sepeli illud in præcordiis tuis, radiceretur, ac firmeretur in charitate; tum animadvertes, ut in lignum vitæ excrescat; videbis, quàm uberes feret virtutum fructus, ut rami patientiæ pullulent; miraberis, ut folia spiritualium colloquiorum protrudet, odorem vitæ exemplaris diffundet, & pretiosum, ac superbenedictum fructum, Christum videlicet in corde tuo progeneret; ut fias conformis imaginis dilecti Filii Dei.

XI. Hanc credo prærogativam Verbi sui inculcare intendebat Dominus, quando Marcella in corona populi intenta voce beatissimam Matrem ipsius de prædicavit, dicens: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera que suxisti.* Reposuit enim: *Quinimò beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* q. d. Tu beatam proclamas matrem meam, quòd talem filium enixa sit; ac tacitè sub similem exoptas beatitatem; indolesque, quòd talis tibi proles non obtigerit; at ego perfectiorem, solidiorém-

que beatitatem tibi offero, & omnibus eam inquirentibus competentem. Nimirum assero te beatam ac superbenedictam fore, si verba mea audiveris, ac custodiveris. Nam & benedicta Mater mea beatorum exitit, quòd me mente quàm ventre conceperit, & nisi priùs mente concepisset, indigna fuisset, quæ utero conciperet. Sensus hic desumptus ex calamo Augustissimi Præfulis Augustini, præfatum locum sic interpretantis: *Materna propinquitas Maria nihil profuisset, nisi felicius corde Christum, quàm carne gestasset. Beatior ergo fuit Maria, percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* Non enim aliter concepit, nisi audiendo, & credendo. Verbum enim est æternus Dei Filius, & non nisi per aurem conceptum in corde generatur.

Ex quo satis intelligitur, non sine fundamento præfatum S. Patrem definitivè, non minùs esse Verbum Christi, quàm corpus Christi; & non minus fore reum, qui Verbum Dei negligenter audiverit, quàm illum, qui corpus Christi negligentia sua in terram cadere permiserit. Non enim multò ampliùs differunt, quàm semèn, & fructus. O quàm meritò itaque Dominus videns Verbi sui contemptum, exclamat: *Qui habet aures audiendi audiat.* Audiat, inquam, commonentem, ne audiat redarguentem. Audiat, nec contemnat, ne æquè reus sit, ac qui corpus Christi proculcaverit. Audiat, nec aures obturet, ne & ipse subinde clamans non exaudiatur.

XII. Et credámne hujus criminis reos in hac corona inveniri? Credámne Christum ad tantum provocari dolorem,

S. August.
tr. 10. in
Joan.

Inc. 11.

rēm, ut exclamet? Credāme Verbum Dei à prætereuntibus in via conculcari? Non credam ob pietatem vestram; non credam, quia aures vestras semper arrectas video, aspidum autem est, teste Davide, aures obturare ad incantationem: *Sicut aspidus surde obturantis aures suas*, &c. Non credo, siquidem vos Orthodoxos reputo; est autem hæresis Anabaptistarum, & Schwenckfeldianorum, contemptus Verbi Dei. Non credo, quia vos ut filios Dei venero; est autem diabolicum, non audire, oraculo sempiternæ Veritatis: *Vos ex patre diabolo estis, propterea non auditis*. Non credam, quoniam spem optimam de vestra salute foveo; est autem reprobationis indicium, nolle audire Verbum Dei. *Vir*, ait Sapiens, *qui erraverit à via doctrina, in cœtu gigantum*, (id est demoniorum) *commorabitur*.

Psal. 57. 5.

Ioan. 8.

v. 44.

Prov. 21.

16.

Verūtmamen ut credam conculcatum semen Verbi divini, ut credam

nonnullos saltem tam bestiales, & hæretico sensu imbutos, tam fulminatos inveniri, mover me authoritas multorum contestantium inveniri, qui vix videantur ab exedra. Mover me ignorantia multorum crassa in rebus salutem animæ concernentibus. Mover me exiguus fructus, quem ex alloquiis sacris colligi auguro.

Eheu, quicumque ii sunt, cogitent, quid agant, quove tanta socordia deventuri sint. Expendant, quale iudicium eos maneat, si Israëlita vel ob solam umbram in manna nauseatam, ignitis serpentibus castigati sunt. Truinent, ne inveniuntur æquè rei, ac qui corpus Christi proculcaverint. Prò, quæ hæc damnatio! Et ne tandem illi subjaceant, suscipiant semen Verbi Dei in corde optimo, & afferant fructum in patientia.

Amen.

